

72 Cirencester, rep. c. a. 1764 in *Watermore common, just without the city wall (of Cirencester)*, servata in horto ad *Siddington house*.

luna
D · M
P · VICANAE
P · VITALIS
CONIVX

Rudder p. 347 (inde *Rudge Gloucester* 1 p. XLIII; *Goughs Camden* 1 p. 410; ex hoc C. Leemans *Archaeologia* 27, 1838 p. 226; *Akerman archaeol. index* p. 71; *Buckman et Newmarch* p. 116; *Osann Zeitschr. für Alterthumswiss.* 1853 p. 88 d).
P erit Pompeiae gentis indicatio.

72a *Chedworth*, lapis quadratus rep. a. 1864 in effossionibus institutis ibi in parietinis villae rusticae. Videtur scriptus esse litteris paene cursivis.

PRASIATA

H. M. Scarth *assoc. journ.* 24, 1868 p. 132. Titulus fortasse pertinebat ad anaglyphum, in quo ludi circenses repraesentati erant.

72b *Daglingworth*; Roman altar converted into a church window.

... RIB ...
.. IOL ...
.. INI ...

Assoc. journ. 25, 1869 p. 304 ubi de ara [deabus mat]rib[us et Gen]io [oci] a [I]unia quadam posita cogitatur probabiliter.

73 Anaglyphum votivum rep. at the *Custom Scrubs, parish of Bisley*, una cum aliis antiq[ui]tatibus; servatum ibi at the manor house.

MARTI OLLVDIO

Fosbroke abstracts and records 1 p. 347 (inde *Th. Baker archaeol. journ.* 2, 1846 p. 45) qui addit *Samuelem Lysons* res ibi repertas delineavisse; neque vero editae sunt imagines, si quae fuerunt, ab illo. Nomen dei videtur corruptum esse.

74 *Painswick*, rep. a. 1799 in latomiis in loco dicto *Custom Scrubs*. Titulus supra anaglyphum in fastigio scriptus est.

DEO ROMVLO VETTINVS
DONAVIT
IVVENTIVS
FECIT

vir armatus, paludatus,
d. hastam, s. scutum
tenens; ad latus laevum
gladius pendet. Iuxta
ad d. arula, in qua
cornu copiae(?)

Lysons rel. Brit. Rom. 2 tab. 28 fig. 5. 7.

S. Lysons reliq. Brit. Rom. 2 pars 1 tab. 23 et in collection of *Gloucestershire antiquities* 1803 tab. 19 n. 3 (inde *Sam. Lysons iunior the Romans in Gloucestershire* p. 43); *C. R. Smith Roman London* p. 53.

Lysons supplementa, quae proposuit probabiliter, non distinxit ab iis quae servata sunt.

75 *Hearsleywood*, rep. c. a. 1835, servata in aedibus *Kingscote*.

D · M
IVL · INGENVIL
LN·VX·AN·XX·M·V
D XXXVIII

A. Scuse assoc. journ. 1, 1845 p. 336. Fuit fortasse INGENVI FILIA.

76 Rep. a few years since (1807) in *Bowdownfield in the parish of Lasborough* prope *Kingscot (Woodchester)*.

D M
SVIICENA
ANNOS
XIII VIXIT

Rudder p. 515 (inde *Goughs Camden* 1 p. 404).

77 *Woodchester*, pavimentum tessellatum detectum a. 1793 et 1795 intra parietinas villae rusticae.

pueri duo corbem tenentes
BONVM EVENTVM
BIINII Colite

XI. DOBVNI.

Worcestershire, Warwickshire, Northamptonshire, Buckinghamshire, Oxfordshire, Berkshire, Hertfordshire.

In regionibus mediterraneis, quas fere occupant hodierni comitatus, quorum nomina supra scripta sunt, vitae Romanae reliquiae multo minus frequentes, quam in regionibus magis occidentalibus, quas modo recensuimus, repertae sunt, tituli paene nulli. Unde visum est dispersa per hunc tractum testimonia aevi Romani uno capite comprehendere. Inscripti autem capiti huic Dobunorum nomen (*Ptolem.* 2, 3, 25) eo magis consilio, ut ne deesset illi proprium vocabulum, quam quod omnem istam regionem occupatam olim esse crediderim a populo illo; nam quae magis ad orientem spectant partes eius ad *Catuvellaunos* quoque et *Atrebates* aliosque videntur pertinuisse. Neque vero omnino gentium illarum sedes vetustas a *Ptolemaeo* memoratas certis finibus circumscribere licet.

Worcestershire adscribi solet, nec sine quadam probabilitate illud, *Cornavii* (*Ptolem.* 2, 3, 19). Certa vero ibi oppida Romana non habemus; quanquam fieri potest, ut ipsum *Worcester* ex castro aliquo Romano originem ceperit, cum nomen id indicet atque nummi sane Romani ibi dicantur interdum reperti esse (cf. *V. Green the history and antiquities of the city and suburbs of Worcester.* Lond. 1796 4.; *Goughs Camden* 2 p. 469. 477; *sketch of the antiquities of the ancient city of Worcester.* Lond. s. a. 8.). Viae tamen Romanae (*the Ickenield Street*) supersunt vestigia conspicua unumque eius repertum est miliarium ad *Kempsey*. Quaecunque praeterea reperta sunt in toto comitatu observata illa passim a *Tredway Nash (the history and antiquities of Worcestershire.* Lond. 1782—1799 3 voll. fol.), ea nuper diligenter composuit *Jabez ALLIES (on the ancient British, Roman and Saxon antiquities of Folk-lore of Worcestershire* ed. II Lond. 1852 8.; cf. *I. A. Dunkin Brit. archaeol. assoc., Worcester meeting* 1848. Lond. 1851 8. et *archaeol. journ.* 19, 1862 p. 372 *catalogue of the temporary museum* 1862).

Ex comitatu *Warwick*, per quem via eadem Romana atque in *Worcestershire* pergebat, ne miliarii quidem adhuc prodierunt; non desunt autem ibi consolidata vitae Romanae vestigia (cf. *W. Dugdale the antiquities of Warwickshire* cet. Lond. 1656 fol., ed. III Lond. 1730 2 voll. fol.;

B. Bartlett Manduessedum Romanorum being the history and antiquities of the parish of Manceter cet. Lond. 1791 4.; *Goughs Camden* 2 p. 449 ss.; *Archaeologia* 17, 1814 p. 332; *C. R. Smith collect. ant.* 1, 1848 p. 33 ss.; *archaeol. journ.* 5, 1848 p. 217 ss. 328 ss.)

Per *Northamptonshire* duarum viarum itinera ducebant, *Wallingstreet* et *Erminestreet* vulgo dictarum (cf. *Bridges* 1 p. 3. 585. 2 p. 490. 599; *Kennet Gibson a comment upon part of the fifth journey of Antoninus* cet. Lond. 1800 4., ed. II Lond. 1819 4.; *Goughs Camden* p. 265. 272 ss.); tamen singularum mansionum situs nondum ita licuit definire, ut omnis dubitatio evanuerit. Qua de re in capite viarum publicarum dicendum est. Castrorum vero Romanorum, item villarum rusticarum vestigia hic quoque reperta sunt variis locis (cf. *I. Morton the natural history of Northamptonshire* Lond. 1712 fol. p. 498. 527 ss.; *Vetusta monumenta* 1, 1747 n. 32; *Ioh. Bridges the history and antiquities of Northamptonshire* ed. P. Whalley Oxon. 1791 2 voll. fol. 1 p. 519. 566. 571. 2 p. 181. 190. 194; *Goughs Camden* locis modo indicatis; *G. Baker the history and antiquities of the county of Northampton.* Lond. 1822. 1830 2 voll. fol. 1 p. 345 s. 396; *G. Butler Archaeologia* 30, 1844 p. 125; *C. R. Smith assoc. journ.* 1, 1845 p. 1 ss.; *collect. ant.* 1, 1848 p. 113; *C. H. Hartshorne Archaeologia* 32, 1847 p. 1 ss.; *E. Pretty assoc. journ.* 5, 1850 p. 126. 7, 1852 p. 107; *B. Botfield Archaeologia* 35, 1853 p. 383); ex duobus autem eorum tantum adhuc prodierunt tituli. Alterum *Irchester* est prope *Wellingborough* (cf. *Goughs Camden* 2 p. 282), ubi prodit titulus stratoris consularis (n. 78), alterum *Chasterton* (n. 79). Longe melius vero quam duo illa notum est tertium ad *Castor* (vel *Caistor*) prope *Peterborough* situm; ibi enim effossiones institutae sunt quaeque ex iis prodierunt accurate illustravit *E. T. Artis (Durobrivae of Antoninus identified, a series of plates* cet. Lond. 1828 fol., tabulas aeri incidit elegantius *G. Scharf*); sunt autem praeter miliarium unum imperatoris *Floriani* patellarum tantum fragmina, quibus nuper accessit vas plumbeum inscriptum. Castrum vero illud num re vera putandum sit non